

⁹⁸
LAVRENTIVS THEVPOLVS
D V X X L V I.

*Electus die 23. Iulii 1268. obiit 16. Augusti. Anno 1273.
Principatus Anno V.*

MONIMENTVM ANTIQVVM.

Claustra Marina tuens, profligo Bononienses.

XLVI.



Hronum Iacobi patris occupat filius Laurentius Theupolus, electionis jure non sanguinis. Non alium namque Regem habent Veneti, præter Deum. Vterque Princeps, merito genitor, Fortunæ genitus. Inter namque Ranerium Dandulum, & Iacobum Theupolum æquè diviso Quadrageinta Virali Collegio, ut à Calendis Martii, ad Nonas Maii nullus eorum excederet viginti suffragia: in Iudicem adscita Sors Theupolum prætulit, quem propterea Zianus Princeps adhuc viuens in asceterio D. Georgii, quamvis affinem Bizantini Cæsarisi, cuius filiam Laurentius in uxorem duxerat; & Ianuensibus illatæ clade fulgidum sprevit tamquam Fortunæ filium, non Iustitiæ; quæ in posterum ut sacræ Ducum electioni sola præsesset; unum supra quadrageinta addidere suffragium; dispar namque numero Deus gaudet, & sicut Vnitas in Trinitate, ita Trinitas in Vnitate perficiuntur. A Iacobo Elio Eligentium seniore, populo expositus, in occursum & obse-
quiūm